

vers. Sed vis est in probando, et part. 9. recent. tom. 1. dec. 180. a num. 11. Baldus consil. 367. num. 1. vers. Item quando; Soccin. junct. consil. 12. n. 8. post medium et seqq. lib. 4. Ruin. cons. 92. n. 13. lib. 3. Roland. consil. 100. n. 26. et sequent. lib. 2. Cephal. consil. 111. num. 13. Natta consil. 602. num. 2. 3. Decian. cons. 88. num. 12. lib. 2. Mantie. de conjectur. lib. 11. tit. 12. num. 19. vers. Quarto ego considero; Peregrin. de Fideicommiss. art. 24. n. 29. et 32. Fachin. lib. 4. contror. cap. 54. vers. Ego eorum sententiam.

(83. Civis ex privilegio quamvis non habitet in Civitate, adhuc tamen gaudet beneficio Civium quoad immunitatem a solutione vectigalium, cum habitatio non sit de substantia Civilitatis, Bartol. in l. Municipem 1. ff. Ad municipal. Soccin. Senior consil. 35. ante num. 8. vers. Quarto probatur lib. 1. Alexander consil. 117. num. 13. lib. 2. Decian. consil. 44. num. 37. et seqq. præcipue num. 62. usque ad 71. lib. 4. Cephal. consil. 451. n. 104. et seqq. l. 4. Peregr. consil. 126. per tot. lib. 5. Surd. consil. 346. numer. 11. Menoch. consil. 1129. num. 11. Cyriac. contror. 291. num. 40. et 543. num. 54. Rocca. loc. cit. num. 6. alique apud ipsum dicentes, regulare esse, ut habitatio ad retinendam Civilitatem non sit necessaria.

(84. Civis ex privilegio etiam creatus cum onere habitandi, Civilitatem non amittit, nisi fuerit interpellatus adimplere. Menoch. consil. 131. num. 5. et seq. Rocca loco cit. n. 18. Beroi consil. 153. lib. 3. Cyriac. contror. 153. n. 56. Andreol. contror. 239. n. 6. Castald. consult. 15. n. 21. et consult. 53. n. 9. et alii.

(85. Immo requiritur Judicis declaratio, et quod interpellatus contumax fuerit, et per annum steterit adimplere. Glossa in § Si quis autem non implens, verb. Admonitus, Authent. de hæredibus et Falcidia; Alciat. resp. 12. n. 3. et seq. et resp. 13. n. 6. lib. 4. Cyriac. contror. 153. n. 17. Andreol. contror. 239. n. 6. Gobius consult. 116. n. 97. (86. Rocca loco cit. num. 19. et alii. (86. Et hoc ex ratione communiter recepta; quia modus impleri debet per compulsionem ad differentiam conditionis, quæ impleri debet per expulsionem, seu exclusionem, quæ est regularis differentia inter modum, et conditionem, prout est textus in Authent. Hoc amplius, Cod. de Fideicommiss.

(87. Civium appellatione veniunt etiam Comitatus, seu forenses nati in Suburbis, præcipue in favorabilibus, et in materia, quæ utrisque conveniat. Nomine autem Territorii venit quicquid intra fines loci simul cum ipso loco continetur; l. Pupillus §. Territorium, ff. de verborum significat. et natus in Suburbis et continentibus Vicis idem est, ac si in Oppido natus fuisset; l. Qui in continentibus 147. ff. de verbor. significat. l. Qui ex Vico 30. ff. Ad municipal. Rota p. 18. recent. tom. 2. dec. 431. num. 13. et dec. 537. num. 8. Gratian. discept. 217. n. 10. cum duobus seq. Martin. de Monte de finibus regend. c. 6. num. 9. inter tract.

divers. tom. 3. part. 2. fol. 234. Rebuff. in l. 2. column. 1. § In quantum, ff. de verb. significat. Soccin. in l. 2. ff. de reb. dub. et alii. (88. Hinc Filius originem habens a patre nato in Suburbis, seu Villa, in Collegium Civitatis, vel Oppidi recipiendus est, cum per cit. Leges Qui in continentibus, et Qui ex Vico, natus in Suburbis, et continentibus Vicis, idem sit, ac si in Civitate, vel Oppido natus fuisset. Rota part. 18. recent. uccis. 117. n. 11. et 12. Baldus consil. 183. n. 1. lib. 3. et alii.

(89. Civibus ex privilegio nihil suffragatur privilegium Civilitatis ad effectum successionis, ubi excludantur exteri forenses, nisi constet de habitatione, et onerum sustentatione. Sic Rota articulo discusso in Cæsenaten. Hæreditatis 18. Jan. 1620. coram Pirovano, et part. 6. recent. decis. 160. num. 28. Afflict. decis. 384. num. 6. et alii. Prout etiam non suffragatur, si quis eodem privilegio Civilitatis non est usus, nec unquam habitavit, nec onera sustinuit, ut multis cumulatis firmavit Rota in Romana, seu Cæsenaten. Hæreditatis 6. Nov. 1619. et 18. Jan. 1620. coram Pirovano, et part. 5. tit. 1. decis. 177. num. 57.

(90. Civis autem ex privilegio admittitur ad Beneficium ad quod vocantur soli Cives Civitatis. Sac. Cong. Conc. in Romana 16. Septemb. 1649. lib. 10. Decr. fol. 674. referente Ursaya Instit. crimin. lib. 1. tit. 3. n. 32.

(91. Civitas tamen Bononiæ ex concessione Julii II. habet privilegium, ut illa Beneficia non nisi Civibus conferri possint, idemque privilegium confirmatum fuit per duos Pontifices Bononienses Gregorium XIII. et Gregorium XV, quorum ultimus addidit, ut Civitas ex privilegio non suffragaretur. Sic Card. de Luca de Beneficiis disc. 113. num. 1.

(92. Generaliter vero loquendo Beneficia Civibus potius quam exteris conferri debent, et originarii, seu naturales loci præferendi sunt exteris, seu alienigenis. Rota part. 3. recent. dec. 61. num. 1. Card. de Luca de Benefic. disc. 96. num. 12. Decius consil. 542. num. 13. Roch. de Curt. tract. de Jurepatron. verb. Honorificum, num. 45. cum pluribus seqq. et alii. Licet enim in Beneficialibus ex regula, quod apud Deum non est acceptio personarum, ista qualitas Civilitatis non reputetur necessaria, et sola qualitas loci non sufficiat de Jure ad exclusionem a Beneficio, per Rotam part. 13. recent. dec. 55. n. 12. Attamen data æqualitate idoneitatis, atque in concursu dicitur considerabilis, ac species etiam benemerentiæ, ob quam cæteris paribus prælatio saltem de congruo, seu de honestate debeat, ex collectis apud Cavill. decis. 66. alias decis. 232. part. 7. recent. et pluries ex præcedentibus, nec discordat in hac parte hæc justa et recta opinio a juris communis dispositione, secundum quam Beneficia, Officia, et Gubernia propriis Civibus, non autem exteris demandanda, et conferenda sunt, ut post multos firmavit Rota in Perusina

Abbatie 14. Januarii 1701. § Accedente, coram Scotto apud Ursajam tom. 8. part. 2. discept. 8. num. 9. et ead. Rota part. 7. recent. decis. 232. num. 11. dicens, quod cum Beneficia sint fundata ex bonis illius Civitatis, seu loci, fraudarentur Fundatores sua ultima voluntate, si eorum redditus ad extraneos transferrentur. Vide ibi, ubi multa ad rem.

(93. Imo si fundator legem imposuit, ut Beneficium conferatur solis originariis, seu oriundis ex tali loco, et non alienigenis, nullimode conferri poterit exteris, tum de Jure Divino, tum de Jure Canonico, tum de Jure Civili. De Jure Divino Deuteronom. cap. 17. n. 15. ibi: Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, et c. 18. n. 15. ibi: Prophetam de gente tua. De Jure Canonico; c. Bonæ memoriæ 4. § Quia vero, de Postulat. Prælat. ibi: Non poteramus salva conscientia eidem Ecclesiæ de persona alterius Regni providere, ut allegat Rota part. 7. recent. decis. 232. num. 9. stando in vero sensu Canonis, non præcise in littera; cap. Ne pro defectu 41. de elect. cap. Nec emeritis, et cap. Nullus, dist. 61. cap. Afros distinct. 98. cum similibus. De Jure Civili; l. in Ecclesiis 11. Cod. de Episcopis, et Clericis, ibi: Clerici non ex alia possessione, vel Vico, sed ex eo, ubi Ecclesiam esse constiterit, ordinentur, leg. Unica Cod. non licere Habitatoribus, ibi: Ut nullo extraneo illic quoquo modo possidendi licentia tribuatur, et concordat Conc. Trident. sess. 25. cap. 5. de reformat. ubi expresse jubet, ut in conferendis Beneficiis serventur omnino conditiones, et qualitates in eorum erectione, seu fundatione impositæ, ibi: « Ratio postulat ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ex Beneficiorum quorumcunque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in Beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur.»

(94. Et ratio est, quia voluntas Testatoris, seu Fundatoris tamquam Lex est omnino servanda; cap. ultima voluntas 4. caus. 13. quæst. 2. ibi: « Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet; leg. In conditionibus 19 ff. de conditionibus, et demonstrationibus, ibi: In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditionem, lib. Cum quæst. 23. in fin. Cod. de Legatis, ibi: In omnibus etenim Testatoris voluntatem, quæ legitima est, dominari censemus. » Nec ab alio, quam a Summo Pontifice, et quidem de potestatis plenitudine in his circumstantiis dicta ultima voluntas commutari potest, juxta text. in Clementin. Quia contingit de Religios. domibus, et in l. Legatum ff. de administrat. rer. ad hæreditatem pertinent, et animadversa per Monet. de commutat. ultim. volunt. cap. 5. quæst. 2. conclus. 1. num. 86. Ursajam tom. 8. p. 2. discept. 8. num. 12. et Rota dec. 560. num. 2. ibique addendo n. 12. coram Burat. et dec. 979. a n. 1. dec. 1042. n. 1. cor. Emerix jun. p. 7. cit. dec. 232. per tot. cum plurimis ibi adductis.

(95. Beneficium erectum, seu Legatum fundatum pro solis Civibus v. g. Alexandrinis, debetur tantum natis in Civitate, Suburbis, Vicis, et districtu, non autem natis in toto Comitatu, Provincia, seu Diocesi, per text. in leg. Qui ex Vico 30. ff. Ad municipal. l. Qui in continentibus 147. ff. de verb. significat. et dixit Rota dec. 188. num. 3. dec. 127. num. 12. par. 17. dec. 9. num. 1. dec. 429. num. 21. part. 10. rec. et in Romana, seu Senen. Dotium 22. Junii 1703. coram Caprara, et 7. Januarii 1704. coram eod. impress. apud Monacell. par. 2 in append. dec. 49 et 50. Et sic in terminis similis dispositionis Lara de Anniv. c. 21. n. 34. ubi de Legato facto puellis Toletanis; Gratian. dec. Marc. 96. num. 1. et seq. ubi de Legato pro maritandis puellis Fanensibus; Ventrigl. prax. for. Eccl. tom. 1. annot. 29. num. 12. in fine, ubi de Legato facto maritandis puellis pauperibus Capuæ; Capon. discept. 115. tom. 2. Moron. resp. 4. num. 1. et 60. Amostaz. lib. 4. de causis piis c. 6. n. 17. cum pluribus ibi citatis.

(96. Et si a tali Beneficio, seu Legato excludantur expresse Cives ex privilegio, isti ad illud non possunt admitti, per dicta supra a num. 91 ad 94. Et Decretum allatum n. 90. intelligendum est de Civibus ex privilegio, qui non sunt expresse exclusi, seu de habentibus tale privilegium a Summo Pontifice de plenitudine potestatis derogante expresse simili depositioni. (97. Non censentur tamen exclusi Cives nati extra Civitatem originariam occasionaliter per dicta supra num. 48 et seq. num. 52. et 72. (98. Nec nati in Civitate, et alibi necessarium, vel occasionale domicilium habentes, per dicta supra num. 73. (99. Beneficium, seu Legatum, ad quod vocantur Cives naturales, et originarii alicujus loci, debetur solum natis in tali loco non casu, aut per transitum, sed quando pater domicilium ibi habuit, aut est locus, ubi pater natus est, per dicta supra num. 70. et 71. (100. Et solum in istorum defectum deberetur natis ibi casu, aut per transitum, ut a fortiori id debent tenere DD. citati supra n. 69. et patet a pari ex dictis sub verb. Legatum n. 74. 75 et 76.

(101. Beneficium, seu Legatum, ad quod vocantur naturales alicujus loci, potest conferri non solum illius loci originariis, seu oriundis, sed etiam illis, qui per decennium ibidem Domicilium habent, licet aliunde originem traxerint, dummodo tamen habeant animum ibi commorandi cum retentione domus, et supportatione onerum Civicorum, nam talis habitatio facit quemquam naturalem illius loci; leg. Nec ipsi 2. et l. Cives 7. Cod. de incolis; Rota part. 2. divers. decis. 159. num. 2. Gregorius in l. 32. tit. 2. p. 3. glossa dies annos; Diana p. 4. tract. 4. res. 140. vers. Nota quinto; Sanchez de Matr. lib. 3. dis. 23. n. 2. et lib. 4. c. 2. dub. 12. Amostaz. de causis piis lib. 4. c. 6. n. 58. Ursaya tom. 9. part. 2. discept. 50. per tot. et signanter a num. 60. ubi innumeros ad id afferit Doctores.

(102. Beneficium, seu Legatum, ad quod vocantur patricii alicujus loci, potest conferri non solum patriciis originariis, sed etiam Domiciliariis. (103. Patria enim est duplex, una originis, altera Domicilii, ut notant communiter DD. allegati et secuti ab Ursaya *cit. discept.* 50. a num. 75. Unde cum quis per decennalem habitationem cum retentione domus, et supportatione onerum Civicorum, et animo morandi perpetuo in aliquo loco reddatur verus patricius illius loci, per text. *in cit. leg. Nec ipsi 2. et leg. Cives 7. de incolis*, debet admitti ad tale Beneficium, seu Legatum, ad quod vocantur patricii. Vide dicta *supra n. 53 et seq.*

104. In dictis tamen, et similibus dispositionibus est serio, attente, et caute investiganda voluntas disponentis, seu erigentis, vel relinquentis, idque perpendendum ex verbis ipsius vocantis, et qualitatibus vocatorum. Potest enim Testator vocare naturales intelligendo, non solum domiciliarios, sed etiam oriundos alicujus Civitatis, vel Oppidi, prout quando est sermo de naturalibus alicujus Regni, in quo non domiciliarii tantum intelliguntur, sed etiam qui ibidem originem habent. Gregorius *in leg. 2. tit. 24. p. 4. gloss. 14. Salced. ad Bernard. cap. 54. num. 23. Bolanus in Curia tom. 2. leg. 1. cap. 1. num. 37. Sanchez Consil. 1. 2. cap. dub. 9. Amostaz. loc. cit. num. 61.* Et aliter potest naturales vocare intelligendo de iis, qui solum sunt domiciliarii, quamvis originem non habeant, ut sunt, qui decennalem habitationem habent in aliquo loco cum retentione domus, supportatione onerum Civicorum, et animo ibidem perpetuo permanendi. Item vocando originarios potest Testator intelligere non solum de iis, qui nati sunt in loco, ubi parentes eorum habent domicilium constitutum, sed etiam de iis, qui nati sunt per transitum, seu casu in loco, ubi eorum parentes non habent domicilium, sed tanquam peregrini per transitum, aut casu ibi reperiebantur.

(105. In his casibus, si Testator sub nomine naturalium voluerit solos originarios intelligere, non debent admitti domiciliarii, quia exclusi censentur. Castrensis 1. p. cons. 21. n. 5. Menoch. l. 6. *presumpt.* 30. n. 22. Gail. l. 2. *Obs.* 35. num. 6. Barbosa *in l. Hæres absens § Proinde ff. de judiciis art. de for. orig. n. 58. Amostaz. loc. cit. num. 61.* et alii passim. Et si voluerit comprehendere etiam domiciliarios, etiam isti, quamvis originem non habeant, sunt admittendi, per text. *in cit. l. Nec ipsi 2. et l. Cives 7. Cod. de Incolis*, et dicta *supra n. 53. et seq.*

106. Si vocando originarios voluerit Testator intelligere solum de illis, qui nati sunt in loco, ubi eorum parentes habent domicilium constitutum, non debent admitti, qui nati sunt per transitum, seu casu in loco, ubi eorum parentes non habent domicilium, sed tanquam peregrini per transitum, aut casu ibi reperiebantur, per text. *in l. Filios 3. Cod. de municip. et originariis*, et dicta *supra num. 70 et 71.* Si autem voluerit comprehen-

dere etiam eos, qui nati sunt per transitum, aut casu in loco, ubi parentes non habebant domicilium; etiam isti veniunt admittendi per text. *in leg. Municipem. 2. ff. Ad municipalem, et in leg. Cives 7. Cod. de Incolis*, et dicto *supra n. 69. et seq.* (107. Cum hoc tamen ordine, quod habentes omnes qualitates volitas a Testatore præferendi sunt habentibus solum aliquas ex ipsis; unde qui sunt naturales, et domiciliarii, præferendi sunt pure domiciliariis, et pure naturalibus. Et qui sunt originarii nati in loco, ubi eorum parentes habent domicilium, præferendi sunt originariis natis in loco, ubi eorum parentes non habent dictum domicilium. Et sic de similibus. Hoc enim est magis conforme Testatoris voluntati, quæ tamquam Lex est omnino servanda per text., *in cap. Ultima voluntas 4. caus. 12. quæst. 2. l. In conditionibus, et demonstrationibus l. Cum quæst. 23. in fine Cod. de Legatis*, et dicta *supra num. 93. et sequent. et num. 100.*

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(108-109-110. Jus Civitatis differt a jure Civilitatis. Illud regulariter est potestas dandi seu condendi e pago, vel alio loco Civitatem, id quod ad Regalia Majestatis, vel majora Principi reservata referunt; L. 1. C. de Metrop. Beryt. Stephanus de Jurisdic. lib. 1. par. 1. cap. 1. membr. 2. n. 14. Limnæus de Jur. public. 2. c. 9. n. 128. (111. Hoc autem est Jus recipiendi Cives, quibus dari solet facultas seu potestas utendi, fruendi commodis, libertatibus, et privilegiis, Civitatis. Besold. *Thesaur. Pract. Voce Stadt. Knipsch. de Jur. Civil. Imper. lib. 1. cap. 29. num. 1 et 2.* (112. Minimeque est de Regalibus; Mævius ad Jus Lubecense part. 1. tit. 2. art. 2. n. 50. et 60.

(113. Civilitas, ut tradit Auctor, acquiritur vel origine, vel domicilio, vel allectione. (114. De civilitate, quæ origine acquiritur, vulgo dicitur, non Matris, sed Patris spectandam esse originem; L. 1. § 2. ff. Ad Municip. l. Filios C. de Municip. et originar. (115. At intellige id procedere, si de Civilitate quæstio sit, ut quis particeps esse possit commodorum, et onerum omnium a jure ipsi Civilitati annexorum. (116. Cæterum si de Civilitate disseratur, ut admitti quis possit ad commoda ab homine relicta Civibus alicujus Locis, Filius non solum Patris, sed et Matris sequitur originem, Escobar de Pontific. et Reg. Jurisdic. in Stud. c. 1. a num. 53. ad plur. seq. et rursus cap. 2. a num. 1 ad num. 16. Mendo de jure Academ. lib. 2. quæst. 18. num. 187. et plur. seq. (117. Quinimo id ipsum obtinere, si quis non per Matrem, sed vel per Aviam, vel Proaviam originem ducat a Loco, de quo agitur, tenent iidem Auctores, prior, d. c. 2. n. 17. et plur. seq. posterior d. q. 18. n. 181. et plur. seq.

(118. De eo quæri solet, num natus ante cooptionem Patris in Civium numerum pro Cive originario haberi debeat? (119. Tractant de hac quæstione Besold. *Polit. lib. 1. c. 16. num. 8. Warmser. in fascicul. jur.*

*public. exercit. 2. thes. 15. Carpzov. Jurisprud. Forens. par. 2. c. 10. definit. 32. Lysér. de Jure Civilitatis § 20.* qui ultimus allegato loco pro affirmativa est, et hæc ita se habere concludit per *Leg. 2. ff. de Decurion.* nisi tamen speciali alicujus Civitatis Statuto aliud sit introductum.

(120. Quid requiratur ad Domicilii constitutionem explicat, et recte Strikius *dissert. jurid. tom. 9. disp. 10. cap. 3. § 6. et plur. seqq.* Confer etiam de domicilio Voet in *Commentar. ad Pandect. lib. 5. t. 1. n. 91. et plur. seqq.*

(121. Novi domicilii ratio an habeatur, si in fraudem ea mutatio facta sit? Consule Argent. *ad Consuet. Britan. art. 9. n. 5. Anton. Fabr. in Cod. lib. 9. tit. 30. defin. 10. n. 2. Larea decis. 94. n. 7. Ganaver. dec. 6. n. 7. 9. 28. 33. et 48.*

(122. Quod demum attinet ad allectionem,

## CLAUSULÆ.

## ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

## SUMMARIUM.

## ARTICULUS I. — Clausulæ Communes.

1. Etymologia nominis. — 2. Clausula apud jurisconsultos quid. — 3. Clausulas respicientes solemnitates actus notarius apponere potest; et quamvis non expressæ, pro expressis habentur. — 4. 5. De Clausulis in instrumentis, testamentis, etc., appositis. — 6. Si testator appositus in testamento Clausulis non contradixerit, illas approbare censetur. — 7. Quando Clausulæ censi debeant appositæ a voluntate testatoris, vel contrahentium, et quando de stylo notariorum. *Remissive.* — 8. Clausula generalis explicatur per specialem. — 9. Clausula universalis quidam operetur. — 10. Clausula accessorie adjunctæ contractui simulat, quomodo judicentur. — 11. In quantum deroget Clausula derogatoria alicujus legis. — 12. Clausulæ appositæ in prima commissione an pro repetitis habeantur in aliis. — 13. De Clausulis appositis in privilegiis. — 14. Clausulæ præservativæ non tribuunt de novo jus. — 15. De Clausulis respicientibus plura, quæ determinabilia sunt. — 16. An Clausulæ executivæ poni solitæ post perfectum contractum aliquid innovent in principali dispositione. — 17. Clausula super quibus omnibus et singulis petiti sibi jus et justitiam administrari, quid operetur. — 18. Clausula salva moderatione. — 19. Clausula salvo consensu Domini, et non aliter, nec alio modo. — 20. De Clausula codicillari. — 21. Clausula si, et in quantum. — 22. Clausula sine præjudicio. — 23. De aliis Clausulis. *Remissive.*

## ARTICULUS II. — Clausulæ Apostolicæ.

1. Clausula motu proprio, et certa scientia, et de plenitudine potestatis. — 2. Clausula supplementes. — 3. Clausula sine retardatione solutionis pensionis. — 4. Clausula amoto quolibet detentore. — 5. Clausula inducas et inductum defendas. — 6. Clausula Appellatione remota. — 7. Clausula quorum tenores. — 8. Clausula sine præjudicio executionis litterarum apostolicarum, et parito brevi, et judicato. — 9. Quænam

(1) In regno Utriusque Siciliæ civitatis beneficio frui possunt I. Exteri Reipublicæ benemeriti; II. qui magno præditi sunt ingenio, vel nova inventa, aut utiles artes intulerunt; III. qui bona immobilia acquisierunt, ex quibus annuum censum ducatorum 400 fisco persolvunt: attamen animadvertendum eos civitatis jure gaudere minime posse, nisi per totum

multum interest, utrum quis recipiatur in numerum Civium decreto Decurionum, an rescripto Principis. Priori casu non aliter gaudet commodis cæterorum Civium, quam si et onera eorumdem subeat. (123. Posteriori vero casu gaudere valet commodis cæterorum Civium, quin dicta onera subeat, modo Princeps sciverit eum non esse subitarum ipsorum onera; idque quia videtur Princeps in hoc casu jus Civilitatis concessisse sine oneribus illis. Boss. *de Princip. n. 351. Campell. ad Constit. Ducat. Urbin. decr. 23. n. 307. (1)*

(124. De commodis, et oneribus Civilitati a jure annexis adi Strykium *Juridic. diss. tom. 9. disp. 10. c. 5. per tot.*

(125. Tum de modis, quibus amittitur Civilitas vide eundem Strykium *Juridic. diss. tom. 3. disp. 24. ser. per tot.* egregie æque ac late disserentem.

operetur Clausula parito brevi et judicato. — 10. Clausula volumus autem. — 11. Clausula vocatis vocandis, servatis servandis. — 12. Clausula si tibi constiterit. — 13. Clausula verificato prius. — 14. Clausulæ ut asseris, ut asseritur. — 15. Clausula quatenus. — 16. Clausula ex nunc prout ex tunc. — 17. Clausula si et in quantum. — 18. Clausula gratis ubique, etc. — 19. Clausula si ita est. — 20. Clausula tunc et ex casu. — 21. Clausula omni meliori modo. — 22. Clausula statum, et merita causæ. — 23. Clausula sine præjudicio, et dummodo tempore datæ non sit alteri jus quæsitum, etc. — 24. Clausula anteferri. — 25. Clausula arbitrio tuo, vel judicio tuo. — 26. Clausula audiat, et cognoscat, et justitiam faciat. — 27. Clausula dummodo septem Missæ, etc., in altiori privilegiato, etc. — 28. Clausula pro jurato. — 29. Clausula arbitrio Romæ. — 30. Clausula conscientie tuæ committimus, etc., discretioni tuæ. — 31. Clausula volumus autem, quod si alias Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus. — 32. Clausula te a quibusvis excommunicationis, etc., absolventes. — 33. Clausula in tua, et in tuæ familie presentia. — 34. Clausula consentientibus dilectis filiis. — 35. Clausula ut pretium subrogetur in aliud prædium emendum. — 36. Clausula dummodo centum pro rectore. — 37. Clausula dummodo intrusus non sit. — 38. Clausula habita vel non habita possessione. — 39. Clausula quam et quas. — 40. Clausula summarie, simpliciter, sine strepitu, sine figura judicii, sola veritate inspecta, et de plano. — 41. Clausula si per diligentem examinationem idoneum repereris. — 42. Clausula contradictores compescendo. — 43. Clausula prout juris, et de jure. — 44. Clausula perinde valere. — 45. Clausula non aliter, alias, nec alio modo. — 46. Clausula pro expressis habentes. — 47. Clausula non obstantibus, etc. — 48. Clausula decretum irritans. — 49. Clausula districtius inhibentes. — 50. Clausula derogatoria. — 51. Clausula circa, vel circiter. — 52. Clausula ipso facto, et ipso jure. — 53. Clausula de facto et de jure. — 54. Clausula sine vitio spoli et salvo jure. — 55. Clausula in omnibus et per omnia. — 56. De aliis Clausulis. *Remissive.*

annum in regni territorio commorati fuerint; IV. qui per decennium ibi fuerint domiciliati, et habeant unde honeste vivant; vel qui per quinquennium, modo matrimonium contraxerint cum muliere ejusdem nationis. Ex decret. 17. Decemb. 1817. Vid. Collez, *delle legi e Decreti Reali del Regno delle Due Sicilie.* Ibi de forma adscriptionis. (EDIT. CASIN.)